Oratio non esse Pacem ineundam cum Suecis

XXXXI.

Ad invictissimum nostrum Imperatorem Leopoldum.

Quamquam ingentis Maiestatis tuae radijs Imperator Invictissime perstringatur animus meus et dicturo non parum afferat sollicitudinis nihilo tamen secius gloriae tuae consulturus ferocientem illam et barbaram te iudice, insolentiam Suecorum accusabo, qui nuper pacem postulatum ad te venerunt, sed potius existimo ut et vires tuas consiliaque explorarent, vel exprobrarent vel etiam suas non tam efferrent, quam minas suarum virium obijcerent. in quo non importuni solum, sed et ridiculi et astuti et inepti mihi videbantur. Victos se quidem saepius sed frigide admodum fatebantur, metuere non adeo a te cavebant pacem suppliciter tamen rogabant, fatebantur porro germaniam se saepe graviter turbasse, magnâ clade affecisse, plura damna intulisse